

15.

Infra hebdomadam I. Pasche. Ad Vesperas.

1. Ad cenam agni providi,  
Et stolis albis candidi,  
Post transitum maris rubri,  
Christo canamus principi,
2. Cuius corpus sanctissimum,  
In ara crucis torridum,  
Cruore eius roseo,  
Gustando vivimus Deo.
3. Protecti Pasche vespere,  
A devastante angelo,  
Erepti de durissimo,  
Pharaonis imperio,
4. Iam Pascha nostrum Christus est,  
Qui immolatus agnus est,  
Sinceritatis azyma,  
Caro eius oblata est.
5. O vere digna hostia.  
Per quam fracta sunt tartara,  
Redempta plebs captivata,  
Reddita vite premia.

6. Consurgit Christus tumulo,  
Victor redit de baratro,  
Tirannum trudens vinculo,  
Et reserans paradisum.
7. Quesumus auctor omnium,  
In hoc paschali gaudio  
Ab omni mortis impetu  
Tuum defende populum.
8. Gloria tibi domine,  
Qui surrexisti a mortuis,  
Cum patre et sancto spiritu,  
In sempiterna secula. Amen.